

tantâ gaudere eruditione medicâ, quantâ hoc opus extrâ aleam prodit. Non dabo quidquam auribus tuis, nec sinit hoc sincera amicitia, sed certum quàm certissimum est, quòd ab hoc tempore novum adeatur medicinæ exercitium, cùm jam aperuisti omnes medicorum oculos, ut videant viam, et incedant clarâ in luce quousquè datur mortalibus. Obstupesco, dùm lego tua, quòd tâm dilucidè, candidè et clarè res exposuisti, ut de iis ulterius dubitare non liceat. Quidquid unquam didici ab aliis habes omne, sed millena nec mihi nec aliis antea nota. Incipiam jam è novo studere, et incipiant quotquot sapiunt, etiam solidissimi medici; et, si vixero per annum, omnia tua in sanguinem vertam. Extollant jam alii suum Hallerum, suum Sydenham * : vici tamen, qui meum SAUVAGESIUM colui. Tuus liber unicus sufficit, dùm reliquorum inserviant pro eruditorum noctibus. Anne jam pudeat vestratibus non novisse suum Esculapium? Itali etiâ nunc dolent quòd non noverunt suum Galilæum, et Dani suum Tycho-

* SYDENHAM (THOMAS), célèbre médecin anglais, 1624-1689. Par les conseils de Locke, son ami, il opéra dans la médecine une révolution qui l'immortalise, en la ramenant des hypothèses et des applications mathématiques à la voie presque entièrement abandonnée de la nature et de l'expérience.